Portugallien.

Eṁe, & Rṁe Dñe. Constitutiones Ordinis S. Augustini pro vestiendis Nouitijs disponunt, quod priùs Prior inquirat de eius Parentibus, Patria, Vita, cæterisque qualitatibus per easdem requisitis, & si nullum oritur impedimentum, Prior eum facit examinare, si est inuentus idoneus illum proponit Patribus Consilij, à quibus approbatus proponitur Patribus in Capitulo, & si à maiori parte recipitur, proceditur ad solemnitatem eum vestiendi *Summario num.*1.

Tenetur etiam Prior inquisitionem iuridicam facere de parentibus, vita, moribus &c. & eam Patribus Consilij manifestare, vt ipsis constet, & ab ipsis approbatam notificare Patribus Capituli. *Summar. num.*2.

Si autem ex tali informatione, vel aliàs aliquod suboritur dubium, super aliquo impedimentorum, recurrere mandant dictæ Constitutiones ad Prouintialem, & PP. Diffinitores pro solutione *Summar. num.* 3. Ex quo manifestè apparet totam incumbentiam inquirendi, examinandi, approbandi, proponendi recipiendos ad habitum per Constitutiones tribui P. Priori Conuentus, non P. Prouintiali, ad hunc solum spectat dare Prioribus licentiam vestiendi *Sumnar. num.*4., & in casu dubij, vt dictum est, resoluere simul cum Patribus Diffinitorij.

Stante hoc de lege communi Constitutionum Ordinis in Prouintia Portugalliæ introductum reperitur, quod PP. Prouintiales assumpserint sibi curam inquirendi, mittendi ad examen, & probandi recipiendos, informationem tamen iuridicam de parentibus, vita, & moribus priùs præsentare tenetur Patribus Diffinitorij, & si approbatur, eam cum vestiendo mittunt Priori, vt illum recipiat, præcedendo, quæ disponuntur à Constitutionibus, & de hac consuetudine non dubitatur inter Partes.

Ægrè tamen fert P. Præsentatus Fr. Antonius de Tauora modernus Prouintialis, quod inquisitio à se facta dependeat in approbatione à PP. Diffinitoribus, & cupiens hanc subiectionem excutere, recursum habuit ad hanc Sac. Congregationem, quæ sub 28. Ianuarij 1701. dignata fuit rescribere *Patri Procuratori Generali pro Informatione, & Voto*.

Cùm ageretur de lege, aut consuetudine municipali particularis Prouinciæ, audire voluit illius Patres Diffinitores, contra

Capituli integrum manet Ius suum 'examinandi, aprobandi, vel non informationes, & vltimo libertas recipiendi, vel excludendi, imò euehitur eorum authoritas supra Diffinitorium cum approbatos ab illo ipsi excludere possunt, & iudicare supra iudicium Deffinitorij.

Quintò. Est tandeam in maximum decorem prouintiæ, & bonum commune ipsius, quia in ipsa semper claruit Nobilitas eo quod maxima fuit cura, ne admittantur ad Habitum, ex vili, aut infecto sanguine nati; Vndè necessarissimum est ad hanc claritatem conseruandam, quod informationes de Parentibus, Patria, vita, & moribus disquirantur prius in Diffinitorio, vt fert consuetudo, & posteà tradantur examinandæ Patribus Conuentuum, vt præscribunt Constitutiones. Si in aliquo meretur reformationem dicta consuetudo, videtur esse in eo, quod sibi soli arogauit Pater Prouintialis, scilicèt per se inquirere, mittere ad examen, & proponere recipiendos. quod totum, vt vidimus, Patris Prioris est, qui regularitèr est super faciem loci recipiendorum, & meliùs cognoscet oues, quas in filios recepturus est. Hoc tamē sub prudentissimo Iudicio EE. VV- relinquo, quia animus non fuit nisi defendere consuetudinem.

Ad ea quæ Pars aduersa subiungit contra Informationem Admodum Reu. Patris Procuratoris Generalis Ordinis, imò contra ipsum, dicens Paternitatem suam Adm.R. ad colorandam possessionem Diffinitorum conari innuere huic Sacræ Congregationi grauissimum delictum sui Principalis, responderi posset, quod sicuti nescit quid petit, nescit quoque quid dicit. Dictus enim Pater Admodum Reu. relata retulit pure simplicitèr, vt accepit, non conatu innuendi delicta Patris Prouincialis, nec desiderio colorandi possessionem Diffinitorum.

Attestationes, quas adducit ad negandum Decretum, supra quod dicitur fundata consuetudo, vanidæ prorsùs sunt, & nullius momenti, quia sunt negatiuæ, hoc est non vidisse tale Decretum, & magis credendum est duobus affirmantibus, quam mille negantibus *Mascard. de prob. conclus.* 1092. *n.*7. *& DD. ad legem diem proferre* §. *Si plures*. Sed quidquid sit de tali Decreto. *Consuetudo est Ius, ex non scripto veniens, quod vsus approbauit*. *Iustinianus* §. *Ex non scripto instit. de iure gentium, & ciuili* aliàs supradicta est diuturna, vt contrarius admittit, rationalis, honesta, & in bonum commune, vt probatum relinquitur. Vanidum ergò est inquirere, quod non releuat, nec præiudicat.

Quarè &c.

SVMMARIVM

SI quis in ordine noſtro recipi petierit, non ſtatim annuatur ei quicumque ille ſit, ſed priùs de eius parentibus, Patria deque anteacta vita, & moribus diligentèr inquiratur; Deindè probetur ſpiritus eius, ſi ex Deo eſt, quia deſideria dilatione creſcunt, & in priuatis colloquijs, voluntas, mens, & intentio ipſius à Priore Conuentus, vel à Magiſtro Nouitiorum, ſeù ab alio perfectè exploretur. Quod ſi perſeuerauerit in propoſito, Prior eum faciat diligentèr examinare à duobus Examinatoribus ad hoc munus deputatis; Et ſi inuentus fuerit idoneus legantur ei impedimenta &c. Num. 1. *Conſt. Ord. 2. par. cap. 2. n. 1. & 2.*

Quod ſi iurare velle reſponderit, poſt oblatam ei ſpem, à Priore proponatur primò Patribus Conſilij, quod ſi ab eis approbatus fuerit, proponatur Fratribus in Capitulo, & ſi à maiori parte eorum recipiatur, die, & hora, qua Prior prouidebit in Choro &c. ducatur.

Quapropter præcipimus &c. omnibus, & ſingulis Prioribus, vt nullum ad Ordinem admittant, nec Conuentui proponant, quin priùs Patribus Conſilij per publicum Inſtrumentum in depoſito Conuentus conſeruandum, manifeſtè conſtet de eius parentibus, Patria, atque ætate, quæ omnia poſtea ipſe Prior Patribus Capituli, dum illum ad habitum recipiendum proponit, notificare teneatur. Num. 2. *Conſt. Ord. 2. p. c. 1. n. 8. in fin.*

Si autem de aliquo impedimentorum dubium oriatur, ad Prouincialem, & Deffinitores recurri debet. Num. 3. *Conſt. Ord. par. 2. cap. 1. n. 4. circa medium.*

Recipiantur autem omnes de licentia non modo Prioris Prouincialis, verùm etiam de conſenſu primo Patrum Conſilij, deindè maioris partis Capituli. Num. 4. *Conſt. Ord. par. 2. cap. 1. n. 2. in fine.*

Eminentiſſimi, & Reuerendiſſimi Domini. Ex fide dignis relationibus accepi, in Prouincia Luſitaniæ Ordinis Sancti Auguſtini conſuetudinem recipiendi Nouitios à Patre Prouinciali ſimul cum Diffinitoribus eiuſdem Pro- Num. 5. *Informatio Patris Procuratoris Generalis.*

uin-

uinciæ tam longo tempore perdurasse, vt dici possit eorumdem Diffinitorum immemorabilis possessio, quæ vt tradunt Religiosi seniores, & octogenarij, *fundatur in quodam Decreto, quod in Archiuio dictæ Prouinciæ reperiebatur*, & hoc tribus clauibus occludebatur, quarum vna Prouinciali, & duæ aliæ duobus primis Diffinitoribus tradebantur. At cum Orator, qui est modernus Prouincialis *omnes claues* dicti Archiuij *ad se recepisse dicatur*, & ex illo extraxisse omnes Scripturas, litteras Apostolicas, & Decreta, quæ ad bonum regimen dictæ Prouinciæ conducebant, propterea in hoc annexo supplici libello instat pro abrogatione immemorabilis possessionis Diffinitorum in recipiendis Nouitijs, quod quidem in maximam Prouinciæ perniciem tendere asseritur, siquidem impleretur Nouitijs ignaris, & inutilibus, si solus Prouincialis pro tempore absque Diffinitoribus eosdem Nouitios acceptare posset, *quod etiam fecisse tradunt, non obstante supradicta immemorabili consuetudine*, eosdemque Nouitios sic acceptatos, nunc esse potiùs oneri, quàm honori Religionis. Quarè *omnes, & singuli Patres Deffinitores audita Patris Prouincialis instantia de abroganda hac consuetudine vno ore clamant esse iniustam*, vtpotè in Prouinciæ damnum tendentem, *& enixè petunt* ab hac Sacra Congregatione in immemorabili possessione conseruari: Quæ omnia vt benignissimis Eminentiarum Vestrarum mandatis obtemperem, humillimè refero, atque submitto.

Frater Aloysius Ferrari Procurator Generalis Ordinis Sancti Augustini.

Num. 6.
Const. Ord. p. 3. cap. 5. de officio, & authoritate Rmi Prioris Generalis n. 20.

Conuentibus Generalibus prouidebit tàm de Capite, quàm de Membris, tamquam ijs, qui sub eius immediata cura, regimine, & protectione positi sunt.

Num. 7.
Fides Secretarij Ordinis super propositione eligendorum in Priores Conuentuum Generaliũ

Ego infrascriptus fidem indubiam facio, & attestor in verbo veritatis stylum, & consuetudinem esse in electione Priorum Conuentuum Generalium Ordinis Erem. S. Augustini, tres Patres à Reuerendissimo P. Generali proponi Capitulo prædictorum Conuentuum, & ex illis tribus vnum eligi à Patribus Capitularibus. In quorum omnium

nium fidem præſentes manu mea ſubſcripſi, & ſigillo minori Ordinis conſignaui. Romæ hac die 25. Aprilis 1702.

Magiſter Fr. Dionyſius Gori Senenſis Proſecretarius Ordinis.

Loco ✠ ſigilli.

Quoniam refert plurimùm ad Diuinum ſeruitium, & Ordinis profictum, vt conueniens habeatur delectus eorum, qui ad Ordinem admittuntur, diligentia non modica adhibenda erit, vt intelligantur ea, quæ ad eorum perſonas, & vocationem attinent. Num. 8. *Conſt. Ord. par. 1. cap. 1. n. 1.*

S A C R A
CONGREGATIONE
Episcoporum, & Regularium

Eñio, & Rñio D.Card.

GABRIELLIO

P O N E N T E

Portugallien. Conseruationis Consuetudinis.

P R O

Reu.Admodum PP.Priore Prouintiali
E T
Diffinitoribus Prouintiæ Portugalliæ
Ordinis Erem. S. Augustini.

C O N T R A

Reu.Admodum P.modernũ Prouintialẽ
eiusdem Prouintiæ Præsentatum Fr.
Antonium de Tauora.

Restrictus Facti, & Iuris.
Cum Summario.

Romæ, Typis Reu. Cam. Apost. 170
Superiorum permissu.